

VIII. *Sectio Oculorum duorum Cataractâ affectorum.*  
*Epiſtola Domini ad Samuelem*  
*Molyneux Armigerum, Serenissimo Principi*  
*Walliæ a Secretis, R. S. S.*

**J**ohannes Wright, senex milesque emeritus, suffusione seu Cataractâ utriusque oculi laborans, visu tandem omnino privatus est. Curæ se commisit Domini Caywood, Oculistæ *Dubliniensis*, qui acu punctoriâ oculum utrumque perforavit ad Crystallinum è sede suâ deprimendum. Operatione verò in oculo dextro minus feliciter succedente, sinistri usum solummodo recuperavit. Paucis mensibus post operationem peractam, in hospitium regale militum emeritorum prope *Dublinium* receptus est, ubi per annos octo vel novem mansit, & per totum istud tempus, visus aciem satis acutam habuit, adeo per urbem solus ambularet, & sodalium facies distinguere posset. Mortuus est tandem 5° die Aprilis 1722. suffocatus per casei morsulum hærentem in gula, quam adeo arctam habuit, ut eundem mortis aditum paucis abhinc annis bis ægre evaserit. Oculi ejus, ex cranio exempti, missi sunt per Nosocomii Chirurgum ad D. Thomam Molyneux Medicinæ Doctorem, Collegii Med. Regalis in *Hibernia* Socium, & in Academia *Dubliniensis* Medicinæ Professorem. In ædibus ejus cultro Anatomico aperti sunt, per Oculistam supradictum, meque, ut intercessum operationi, accersere dignatus est. In oculo sinistro (cujus aciem recuperatam fuisse supra notavimus) sublatâ corneâ cum portione tunicæ scleroticae, ne vel minimum invenimus rudimentum pelliculæ in aquo humore fluctuantis, aut limbo iridis adnatæ, sicut

sicut se observasse scribit *Wolhoufius*. Quod vero multo magis mirandum est, nullæ prorsus reliquiæ inventæ sunt humoris Crystallini, cuius opacitati morbum adscribit Doctor *Briſſeūs*. Humor Vitreus, quoad situm & corſiſtentiam, nihil præternaturale oculis nostris exhibuit; tunica choroidea & retina fuſci coloris erant tam intus quam extra. In oculo dextro eadem omnia obſervavimus; nullum nempe pelliculae aut Crystallini rudimentum occurrebat. Tunica cornea rugosa erat & flaccida, quod aqueus humor per puncturam extravasatus, numquam renovatus fit: adeoque istius oculi uſum amicit penitus. Crystallini vero defectum quod attinet, res est prorsus inaudita, neque ab ullo Anatomico, quantum ſcio, defuiſſe obſervatus eſt, vel leviter ſuſpectus. Militem hunc Crystallinum habuiſſe in utroque oculo ante operationem, nullus dubito; cum vero acu a ſede ſua detruſus eſt, ligamentis ciliaribus vaſisque, quibus nutrimentum hauiſit, penitus disruptis, eum ſenſim contabuiſſe credo, tandemque in auras diſſipatum fuifſe. Summopere vellem hanc rem experimento ſæpius iterato confirmata in eſſe: ſuſpicor enim idem ſemper evenire ſtato tempore poſt depreſſum Crystallinum.

Hoc certo conſtat ex hac hiſtoria, hominem nempe abſque Crystallino videre poſſe, contra opinionem *Wolhouſii* Oculiſtæ *Pariſiensis*, eaque amplius conſirmatur ſententia D. Doctoris *Briſſei* de Cataracta, quem conſulas quæſo ſuper hac re.